DIE V. FEBRUARII

IN FESTO

SANCTORUM VIGINTI SEX MARTYRUM JAPONENSIUM

Missa Sapientiam Sanctorum — *de Communi plurimorum Martyrum.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui ad tui imitationem per Crucis supplicium primitias fidei apud Japoniæ gentes in Sanctorum Martyrum Petri Baptistæ, Pauli et Sociorum sanguine dedicasti, concede quæsumus, ut quorum hodie solemnia colimus, excitemur exemplis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

SECRETA

Suscipe Domine munera, quæ in Sanctorum Martyrum tuorum Petri Baptistæ et Pauli cum Sociis solemnitate deferimus, et da nobis famulis tuis, ut eorum meritis in confessione tui Nominis stabiles inveniri mereamur. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO

Deus, qui Crucis Mysterium in Sanctis Martyribus tuis Petro Baptista et Paulo cum Sociis mirabiliter illustrasti, eorum, quæsumus, meritis et intercessione ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum.